



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Lancicii E Societate Iesv Opvscvlorvm Spiritvalivm
Tomvs ...**

Łęczycki, Mikołaj

Antverpiae, 1650

Cur & quomodo quædam passiones pertinent ad potentiam
concupiscibilem, aliæ ad irascibilem. Cap. IV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78809](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78809)

1.p.q.20.
a.1.ad 3.&
1.2.q.10.
a.3. & q.
2.2.a.2. ad
3. & q.48.
a.2.

lencia, To letus; consentiente S. Thoma. Quan-
quam l.c.num.7. non improbabilem putet esse
sententiam, concupiscibilem præcipue residere
in hepate, irascibilem in corde, vt dicunt Gale-
nus, Cicero, Plato citati à Tanner.

Concupiscibilis mouetur erga bona, quæ ap-
prehendit sibi esse conuenientia, fugit autem
sibi contraria.

Irascibilis verò exurgit, & pugnat contra ob-
iecta habentia difficultates occurrentes in bo-
norum consecutione, & in malorum, quæ sunt
in concupiscibili, fugi: dum hic & nunc ab ope-
rante existimatur bonum aliquod difficile ac-
quisitum, & malum euitatu difficile, idque ob im-
pedimenta, & aduersantia obstacula, quæ vel
illius consecutionem, vel huius euitationem vi-
deantur posse impedire: siue interim bonum il-
lad, & malum suâ naturâ tale sit, vt difficulter
ab operante acquiratur, aut euitetur, siue non
sit.

In appetitu concupiscibili sunt sex passiones:
Amor, Odium, Desiderium seu concupiscentia,
Fuga seu Abominatio; Delectatio seu Gaudiû,
Tristitia seu Dolor. Harum passionum tres respiciunt bonum appetibile: Amor, Desiderium,
& Gaudium.

Amor est quadam propensio affectus erga
bonum cognitum, vel vile, vel pulchrum, vel
delectabile, siue illud sit res, vel actio aliqua, siue
persona, prout abstrahit à præsentia, vel absentia,
vel vt definitur à S. Gregorio Nysseno: *Est in-
trinsecus insita habitudo in id quod est succundum.*

Desiderium, seu quod idem est, Concupiscentia,
est quadam veluti progressio & extensio Am-
oris ad bonum amatum assequendum seu
amplectendum. Estque iudicio Aristotelis du-
plex naturalis, insita nature, vt erga cibum &
potum; innaturalis, quæ sequitur æstimationem
& rationem, vt erga honores, pecunias. Illæ sunt
finitæ, vt in bestis, hæc infinitæ terminum non
habentes, vt in auaris, luxuriosis, teste Aristotele
& experientia.

Gaudium, vel delectatio est quadam in bono
adepto & possessio letitia.

Odium verò & fuga, seu abominatio, est au-
erfio appetitus à malo, hoc est eo, quod ab o-
perante velut malum concipitur, vt illud eui-
tet.

Est autem Odium mali in appetitu auerfio
& horror.

Fuga verò seu abominatio est, recessus appe-
titus à malo futuro seu possibili non arduo.

Tristitia autem seu dolor, est appetitus mole-
stia, orta vel ex internâ mali præsentis apprehen-
sione, vel ex mali corporis coniuncti sensibi-
li experimento, & incommodo.

Porrò in appetitu irascibili sunt quinque:
Spes, Desperatio, Audacia, Timor, Ira, quæ & in-
dignatio zelusque dicitur.

Est autem passio Spei, quadam appetitus motio

erga bonum arduum, quod se posse acquirere
putat.

Audacia verò est quidam motus appetitionis
erga bonum instans, & arduum.

Ira, est appetitus vindictæ ob iniuriam illa-
tam. Porrò, vt ait Cicero, *Iracundia ab irâ differt,
vt anxietas ab angore. Neque enim omnes sunt anxij,
qui anguntur aliquando, neque anxij anguntur sem-
per: & inter ebrietatem, & ebriositatem interest, aliudque
est esse amatorem, aliud amantem.* Idem docuit Se-
neca, ira effectus enumerat S. Gregorius Papa,
vel, vt ait S. Augustinus, est motus animi prouo-
cans ad penam inferendam.

Desperatio, est deiectio appetitus propter dif-
ficultatem in assequendo bono, quod quis se
obtenturum diffidit.

Timor est regressio & subductio appetitionis
à malo futuro arduo, sed euitabili.

Ceterum inter omnes has passiones, Amor S. Aug.
est principalis, & quasi initium & fons cetera-
rum dum exurgunt, vt pluribus in locis docet
S. Thomas post S. Augustinum, quia homo nihil
aliud desiderat, nullâ aliâ re delectatur, nisi
quod amat. Item nil odit, nil fugit, ob nil aliud
tristatur, vel dolet, nisi ob malum, quod bono
amato apprehendit contrarium. Nihil etiam
sperat, ob nihil aliud audet aggredi ardua, nisi
ob id quod amat: ob nil quoque irascitur, des-
perat, & timet, nisi ob bonum quod amat, dum
illud assequi non potest.

Et quia multæ sunt causæ, & incentiua amo-
ris (vti sunt forma corporis, dinitæ, beneficia,
amor signis declaratus ab alio, nobilitas, digni-
tas, prudentia, eloquentia, gratia in agendo, mo-
destia, & compositio membrorum, vocis suauis,
complexionis & speciei similitudo, sangui-
nis, vel patriæ, vel linguæ, vel studiorum ac oc-
cupationum communitio, eruditio, & multiplex
doctrina, & quæuis in mechanicis, & liberali-
bus artibus excellentia, & his similia) ideo la-
titius & frequentius in nobis passio amoris suas
vires, & motus excitat, & alias concitat passio-
nes. Ideo mala nostra omnia attribuuntur in-
ordinato nostri amoris, quem proprium, seu sen-
sualem appellamus, & experimur omnium ma-
lorum ac peccatorum causam esse, quod de eo
asseruit Deus Pater S. Catharine Senensis, & do-
cent Sancti, ac vitæ spiritualis Magistri.

De effectibus Amoris vide S. Thomam, 1.2.
q.28.a.1.2.3.4.5. & q.66.a.6. & q.37.a.2.

CAPVT QVARTVM.

Cur & quomodo quadam passiones perti-
nent ad potentiam concupiscibilem, alia
ad irascibilem?

R Espondeo hoc posse agnosci ex obiecto ha-
rum duarum potentiarum. Obiectum enim
potentiæ concupiscibilis, est bonum vel malum
sensi-

hom. 8 in
Ecclef.

1.3. Rhet.
c.11. &
1.1. Rhet.
cap. 11.

1.1. Polit.
cap. 6.

S. Aug. 1.
14. ciu. c.
6.7.

S. Th. 1.2.
q.31.a.3.

S. Th. 1.2.
q.29.a.1.
& 1.2. q.
36.a.1.

1.2. q.45.
& q.44.
a.4. & a.1.
ad 2.
4. Tufcul.
1. de ira.
cap. 14.
1.5. moral.
cap. 31.
in Psal. 6.

1. Th. lib.
44.

1.4. ciu.
c.7. & 9.
S. Th. 1.p.
q.10.a.1.
& q.60.
1.2. q.
26.a.1. ad
2. & a.1.
ad 1. q.27.
a.4. & q.
28.a.6. ad
1. & q.46.
a.1. & q.
62.a.3. ad
3. & q.70.
a.3. & 1.2.
q.17.a.8.
in corp. &
ad 1. & q.
19.a.9. ad
5. & q.
162.a.3.
ad 4.
S. Aug.
1.10. Trin.
cap. 1.
S. Th. 1.2.
q.27.a.1.
2.3.

c.17. &
42. & 98.
& 119. &
125. &
126. &
118. dial.
S. Th. 1.2.
q.77.a.4.
5. & q.84.
a.2. ad 3.
& 2.2. q.
25.a.7. ad
1. & q.133.
a.5. ad 3.

71.
S. Th. 1.2.
q.23.a.1.
q.27.

sensibile, simpliciter acceptum, in quantum est delectabile, vel dolorosum: sed quia necesse est, quod interdum anima difficultatem vel pugnam pariat, adipiscendo aliquod huiusmodi malum: in quantum hoc est quodammodo elevatum supra facilem potestatem animalis; ideo ipsum bonum, vel malum secundum quod habet rationem ardui vel difficilis, est obiectum irascibilis. Quæcumque ergo passiones respiciunt absolute bonum vel malum, pertinent ad concupiscibilem: vt Gaudium, tristitia, amor, odium, & similes: quæcumque verò respiciunt bonum vel malum sub ratione ardui, prout est aliquid adipiscibile, vel fugibile cum aliqua difficultate, pertinent ad irascibilem, vt audacia, & timor, & spes, & huiusmodi.

§ Thib. Bonum ergo Primò, in potentia appetitua, seu concupiscibili, tanquam eius obiectum, causat quandam inclinationem, seu aptitudinem, seu connaturalitatem ad bonum quod pertinet ad passionem amoris: cui per contrarium respondet odium ex parte mali.

Secundo, si bonum sit nondum habitum, dat ei motum ad assequendum bonum amatum: & hoc pertinet ad passionem desiderij, vel, quod idem est, concupiscencie: & ex opposito, ex parte mali est fuga, vel, quod idem est, abominatio. Tertio, cum adeptum fuerit bonum, dat appetitui quærationem quandam in ipso bono adepti; & hoc pertinet ad delectationem, seu, quod idem est, gaudium: cui opponitur ex parte mali, dolor, seu, quod idem est, tristitia.

In passionibus autem irascibilis potentia præsupponitur quadam aptitudo, vel inclinatio ad prosequendum bonum, vel fugiendum malum, ex concupiscibili potentia: & respectu boni nondum adepti, est spes & desperatio: respectu autem mali nondum imacentis, est timor, & audacia: respectu autem boni adepti, non est aliqua passio in irascibili, quia iam non habet rationem ardui: sed ex malo iam imacenti, sequitur passio ira. Hæc S. Thomas. Quoniam verò triplices sunt animæ veluti vires Rationalis, Irascibilis, & Concupiscibilis; Deus peculiari modo has potentias dirigit dum dat dominium passionum. Ideo cum duo Seraphini præsentassent Spiritui Sancto S. Gertrudem, Spiritus Sanctus rationalem vim animæ splendore sue Diuinitatis perlustrauit; ad cognoscendam suam in omnibus laudatissimam uoluntatem: Irascibilem verò confortauit ad resistendum omnibus inimici machinationibus, & ad vincendum omne malum. Concupiscibilem autem vim animæ inflammauit, vt arderet toto corde, tota animâ, totisque viribus Deum amaret.

CAPVT QVINTVM.

Cum motus harum passionum sint veritates & actiones, cur appellantur passionibus?

8. Respondeo, ideo passiones dici, quia per illas, dum exurgunt, patitur aliquid corpus hu-

manum, præsertim cor, in quo est sedes appetitus sensitui, à quo hæc passiones emanant. Licet, inquit Cicero, ora ipsa cernerent iratorum, aut eorum, qui aut libidine aliqua, aut metu commoti sunt, aut voluptate nimia gestunt: quorum omnium vultus, voces, motus, statum, mutantur. Hinc, vt notauit S. Gregorius: ira sua stimulis accensum cor palpitat, corpus tremit, lingua se præpedit, facies ignescit, exasperantur oculi, & nequaquam cognoscuntur nos.

Sicut ait Aristoteles, voce, & manibus, & labro inferiore tremunt qui metuunt, & vt q. 8. addit, algent, & stuant.

Audacia, vt notat S. Thomas, adfert membris exterioribus frigiditatem, & tremorem: quoniam reuocat calorem ad interiora, sicut & timor: nisi quod timor dimittit illum ad inferiores partes, audacia verò ad cor, vt docet idem S. Thomas alio in loco.

Amor quoque, vt docet S. Thomas, disputans ex professo, An amor sit passio lætiua amantis, quantum ad id quod est materiale in passione amoris (quod est immutatio aliqua corporalis) ait, esse lætiuum propter excessum immutationis. Hinc Sponsa in Canticis dixit: Fulcite me floribus, stipate me malis, quia Amore languet. Vnde aliqui putant Beatam Virginem Mariam, non ex alio morbo, quam ex vehementi passione Amoris, & desiderij, quo flagrabat videndi filij, & intensissimæ contemplationis, extremum diem obiisse, vt obseruauit Gregorius de Valentia & Suarez. Quod confirmari potest, tum auctoritate S. Ioannis Damasceni, dicentis credi eam mortuam sine vllo dolore; mors autem per morbum causata, vt doloris extinguit hominem, tum exemplis Sanctorum. Potest, inquit S. Teresa, crescere ad eum amor & desiderium Dei, vt subiectum naturale illud sufferre nequeat, & aliqua persone ita sunt mortua. Et ipsam hoc modo esse mortuam asseruerunt Cardinales sacrorum Rituum in Relatione factâ Gregorio XV. pro eius Canonizatione. De S. Catharina Senensi scribit Surius: Amoris Christi in eâ tanta vis fuit, vt cor Virginis à summo vsque deorsum creperit, ruptisque vitalibus venis, solâ vi diuini amoris spiritum reddiderit. Sed post quatuor horas ad vitam rediit.

Tristitia quoque corpus vehementer alterat. Vnde Spiritus S. ait: Spiritus tristis exsiccat ossa. Et c. 25. Sicut tinea vestimento, & vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi. Et Ecclesiastici 30. dicitur: Multos occidit tristitia. Quod fusè, & pulchrè Callianus declarat. Et S. Bernardus, Tristitiam, dicit, omnis boni esse impedimentum.

Idem iudicium est de aliis passionibus, quia per illas corpus patitur aliquam sensibilem alterationem: quæ quoniam non reperitur in appetitu intellectiuo seu uoluntate suos actus, & affectus proprios elicente, ideo eius affectus non sunt passiones propriè dictæ, vt docet S. Thomas.

